



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Pro dilectione Dei, proximi atque inimicorum precatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

PHARETRÆ DIVINI AMORIS

Libri Primi Pars IV.

Continens in se varia exercitia & preces pro virtutum infusione, castigationeque vitæ in vitijs transactæ.

Pro fide, spe, & charitate precatio.

Per ineffabilem misericordiam tuam obsecro te misericordissime Domine Iesu Christe, infunde animæ meæ fidem simplicem & rectam, spem firmam, & charitatem ignitam atque perfectam, ut à cunctis erroribus & peccatis liber, intellectum meum in captiuitatem obedientiæ tuæ Ecclesiæ tradam, atque omnem cogitatum meum in te projiciam, totumque me tuæ prouidentiae credam: nihil ad creaturas respiciens, sed in cunctis paternam, amorosissimam, atque fidelissimam cordis tui curam & pietatem erga me intelligens, de manu tua omnia accipiam, pro omnibus te laudem & gratias agam, & in beneplacitum tuum totum me semper resignem, offeram & expendam, Amen.

Pro fide, spe, & charitate ad Patrem, precatio.

Benignissime Domine Deus Pater, cum nulli obtinendæ salutis spes sine Theologicis virtutibus fide, spe & charitate relicta sit, supplico excellentissimæ Maiestati tuæ, filij tui amantissimi intercedentibus meritis, ut rectam, sinceram, viam illuminatamque interiori animæ meæ fundo, infundere digneris fidem, cuius virtute omnes meæ cogitationes cum intima tui fruitione in te subleuentur: spem item firmam atque securam, qua intellectus meus in vultus tui claritate dilatetur: charitatemque ignitam, per quam voluntas mea imperfecta ac instabilis in te omnium creatore firmetur atque solidetur.

Pro dilectione Dei, proximi atque inimicorum, precatio.

Apoc. 1. v. 5
Isa 53. v. 5.
& 12.

Amantissime Domine Iesu Christe, qui dilexisti nos & lauasti nos in sanguine tuo, dulcis Iesu, qui dedisti in mortem animam tuam pro nobis, & cum sceleratis reputatus es, vulneratusque propter iniquitates nostras & attritus propter scelera nostra. Disciplina enim pacis nostræ super te, & liuore tuo sanati sumus. Per hanc charitatem & ineffabilem misericordiam tuam obsecro te, infunde cordi meo gratiæ tuæ inextinguibile lumen, quo simul ardeat in me iuge incendium tuæ charitatis, ferueat, operetur, & crescat in me semper castissimus ac indeficiens affectus miserationis, compassionis, beneuolentiæ ac pietatis, qui ad omnes creaturas tuas tui amore & contemplatione se effundat, & nihilominus inauertibiliter tibi semper inhaereat.

Amantissime Iesu, reple quæso animam meam, omnes sensus, vires, actus & affectus meos perfectissimam, sincerissimam, feruentissimam, fidelissimam atque perpetuam charitate, ut te ex toto corde meo diligam in omnibus & super omnia. in te vero & propter te omnem proximum sincerissimè atque perfectissimè, secundum beneplacitum tuum. Dulcis Iesu, da mihi ut honorem tuum & animarum salutem ardentissimè